

ego conatus tantum abest ut damnem, aut contemnam: ut si quid melius attulerunt, magnam eis gratiam deberi, sicubi aberrarunt (homines enim fuerunt, & tanta res paucis annis, ab vno præsertim, eoq̄ immatura morte prærepto, absolui non potuit) veniam esse dandam existimem. Cæterum ab Alfonso calculo, quem hæctenus suis ferè numeris constituisse constat, tum meapte experientia, tum doctrina & autoritate præstantium virorum: Matthæi VVelferi, Pauli Henzelij, Hieronymi VVolfij & aliorum complurium iudicijs adductus, mihi discedendum esse non putavi. Nam cum inuenta recentiorum, quæ longi temporis censuram nondum subierunt, vix satis explorata esse, et nonnullos in errorem induxisse, vel ipsa Eclipsium obseruatio doceat: omnino, ut prouerbio moneamur, tritissima via tutissima mihi visa fuit, ne idem meo malo experier, quod alijs euenisse video, ut quem temerè admiratus essem, iure ac merito deserendum esse existimarem. Sunt Alfonso tabulæ opus planè Regium, & tale, in quo nihil ferè, nisi posteriorum in obseruationibus eadem diligentia desideretur. Fuerunt & Regiomontani vetustæ Ephemerides, ipsius autoris manu scriptæ, mihi adiumento, in quibus radices singulorum motuum ad annum 1449. ponuntur, quas cum amplissimus vir, ingenij acuminis, & multiplici reconditarum artium doctrina præstans, Georgius Fuggerus mihi communicasset, propter summam scriptoris autoritatem sequendas mihi esse duxi, idq̄ eo magis, quòd Ioannis Schœneri quoq̄ Tabulæ Resolutæ, plane cū illis consentirent, & eadem penè esse viderentur, motu Lunæ duntaxat excepto, de quo in tabulis nostris supputandorum motuum, de ipsius Regiomontani, et mea sententia, ratio copiosior reddetur. Quas ego Tabulas (nisi fata meis conatibus obstiterint) & alia plura Astronomica, studiosis Mathematicum multum facilitatis & compendij allatura, propediem edere constitui, & communicare omnibus ea, in quibus conficiendis industria & opera mea, Illustrissime Princeps, tua liberalitate imprimis, deinde etiam inclyti viri Huldrici Fuggeri, ut doctissimi, ita etiam doctorum amantissimi, & præclaræ familiæ Rosenbergiæ subsidijs & sumptibus, in hoc Ephemeridum opere præsertim, adiuta est. Quod ut maximos sumptus & labores postulauit, ita sedulo à me data opera est, ut non tantum multitudine annorum & numero chartarum, sed exquisita supputatione omnium motuum, & multis vtilissimis appendicibus, omnium esset absolutissimum, & T. I. C. patrocinio, cui me supplex commendo, non indignum. Augustæ Vindellicorum XIII. Cal. Martij. Anno à natiuitate Domini M. D. LVII.

I. T. C.

Deditissimus

Cyprianus Leouitius à Leonicijs

a s Cautum